

mi, leguntur carmina poëtarum lyricorum veterum, atque adeo Anacreontis, diligenter explicasse,<sup>29</sup> ita, vt ex horum hominum commentariis multae istorum carminum glossae cum suis interpretamentis in glossaria grammaticorum posteriorum temporum translatae fuisset, atque ex his tandem in Hesychii,<sup>30</sup> aliorumque, lexica migrasse, videantur: sed maxima horum odariorum pars, neque verbis, neque sententiis, continetur eiusmodi, quarum interpretationem homines Graece docti exspectare a tantis grammaticis debuerint. Omnino tota horum poëmatorum facies, atque forma, mihi quidem, non antiqui cuiusdam vatis, sed recentium poëtarum, ingenium, et orationem, arguere videtur. Et nos haec odaria omnia Anacreonti tribuenda esse censebimus? Immo vero ex iis, quae haëtenus a nobis disputata sunt, intellegi posse speramus, pleraque eorum a recentibus poëtis esse, vel ex Anacreontis odariis expressa, vel ad eorum modum composita. Quae quidem si singula forte non persuadent tibi, lector, id, quod persuadere tibi volumus: at certe vniuersa inter se connexa, atque coniuncta, persuadere debebunt. Nam in hanc talem variorum carminum amatoriorum, conuiualiumque, syllogen, qualem sane continet codex Vaticanus, Stephanique libri scripti continuere, facile fieri potuisse, vt a grammaticis vnum, alterumue, Anacreontis odarium eiusdem argumenti coniceretur, quis non intellegit?

Sed illa tamen sententia, quae haec poëmata omnia Anacreonti addixit, conciliauit illis vbique mul-

b 3

tos

29 Vid. Athen. 15, 3. p. 671, F, et 15, 4. p. 673. E; add. 12, 9. p. 533. F: Suidas v. Ἡρακλέων, v. Σέλευκος Ἐμπερνός, et ex eo Eudocia Ion, p. 386.: v. Τρύφων. Sic Callias Sapphus, et Alcaei,

enarrator laudatur a Strab. 13. p. 618. Casaub. p. 919. B. Almel.

30. Vid. ep. ad Eulogium, Hesychiano glossario praemissa, et Valquenarius in schediasmate de hac epittola p. 153.